



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 888. Usque Ad Annum 1000

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117921

§. 50. Joannes Abbas Cassinensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66313)

Joannes X. Sacram Sedem paulo plus annis quatuordecim obtinuit.

Sæculum X.
A.C. 915.

Sub Pontificatus initium a duobus fratribus Landulfo & Atenulfo, Capuæ Principibus, invitatus, ad armorum societatem, & depellendos Saracenos ab illa statione, quam ad Garilianum occupabant, Joannes cum copiis, Alberico Marchione Duce, & auxiliariis Constantinopoli in Italiam transmissis, illuc movit. Profligati sunt Saraceni & ex illis regionibus ejecti, mense Augusto, anno nongentesimo decimo quinto, Indictione tertia.

Chr. Cass.
c. 52.
Luitpr. II.
c. 14.

Ad hanc victoriam Berengarius quidquam contulisse creditur. Illud vero constat, quod mense Septembri anno nongentesimo decimo sexto a Joanne X. Papa Imperator secundo coronatus fuerit, quamvis eum jam olim Stephanus VII. coronasset. Sed primam Coronationem Joannes IX. nullam declaraverat.

S. L.

Joannes Abbas Cassinensis.

Monachi Cassinenses adhucdum extra suum Monasterium degebant, nec tamen illius reparandi curam penitus abjiciebant. Post obitum S. Bertarii, quocum Teanum confugerant, Abbatem habuerunt Ragemprandum, tum Leonem, qui muros Cassinensis Monasterii
a Sa-

Sæculum X.
A. C. 915.

a Saracenis incensos & destructos restaurare cœpit, a Joanne deinde ejus Successore ad justum fastigium eductos. Joannes e familia nobili Capuana ortus, & Principum agnatus tunc Archidiaconi Capuani Dignitate gaudens, pietate & castissimis moribus fulgebat. Postquam igitur Congregatio Teanensis aliquamdiu nullum habuisset Præpositum, quod nemo idoneus reperiretur, qui eam regeret, Principes Capuani Landulfus & Atenulfus Joannem Archidiaconum rogant flagitantque, ut orbatae familiae regimen in se susciperet. Annuat tandem Joannes, & ipse Monachum induit. Namque ita usus ferebat, ut si Abbas Sæcularis eligeretur, ante omnia ipse Monachorum institutum amplecteretur. Itaque Joannes communi Congregationis consensu eligitur & a Joanne Papa X. solemniter benedicitur. Tunc vero fratres monere & exhortari cœpit, ut relicto Teano Capuam se conferrent, quæ civitas illius provinciæ validissima esset, & tanquam Principum Sedes tutior. Illis Patris monitis obsecundantibus Joannes tam propinquorum, quam amicorum fultus subsidiis insignem Ecclesiam in honorem S. Patris Benedicti, Monasterium, ædesque Officii Monasterii congruentes a fundamentis erexit, ibique Monachos

chos amplius quinquaginta congrega-
vit. (*)

Sæculum X.
A. C. 915.

§. LI.

Normanni convertuntur.

Heriveus Archiepiscopus Remensis
Joannem Papam circa quæstiones
ad pœnitentiam pertinentibus, postquam
Normanni ad fidem fuissent conversi,
consuluit. Quippe illa Gens annorum
ferme septuaginta spatio Franciam de-
populata tandem sedem in ea fixit, &
Christiana Sacra recepit.

Rex

(*) Fleurius non satis clare hæc narrat; nec
apparet, in quo Monasterio, an in Cassinensi
vel Capuano Joannes Abbas fuerit, vel an utri-
que præfuerit. Aliquam lucem affundit, quod
legitur in Annalibus Bened. anno 915. p. 326.
*Non tamen Casini curam abjecit Joannes, im-
mo post ejus renovationem, varia ipsi ornamen-
ta contulit, totiusque Abbatie præceptorum
confirmationem a Principibus obtinuit. Paulo
autem superius legitur: Hoc Monasterium (Ca-
puanum) post varios casus, quos in consequen-
tibus referemus, tandem Patribus Societatis
Jesu cessit, concessa a Clemente VIII. Abba-
tia Cardinali Bellarmino, qui Canonicos loco
Monachorum istuc inductos, alio transtulit, an-
nuente Paulo quinto, ac suæ Societatis Pa-
tres istuc introduxit.*